5

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE

HÆMORRHAGIA.

QUAM,

ANNUENTE DEO TER OPT. MAX

Ex Auctoritate MAGNIFICI RECTORIS

D. JOANNIS ESGERS,
S. S. THEOLOGIÆ DOCTORIS, EJUSDEMQUE FACULTATIS,
UT ET ANTIQUITATUM HEBRAICARUM IN ACADEMIA
LUGDUNO-BATAVA PROFESSORIS ORDINARII.

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *Conſenſu*,
& *Nobiliſſimæ* FACULTATIS MEDICÆ *Decreto*,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis, ritè
ac legitimè conſequendis,

Eruditorum examini ſubmittit

FRANCISCUS MEYER,
SCHAFHUSA-HELVETUS.

Ad diem 28. *Auguſti* 1752. *hora locoque ſolitis.*

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud CONRADUM WISHOFF, 1752.

VIRO

NOBILISSIMO ATQUE EXPERTISSIMO

JOHANNI MARTINO MEYER,

MEDICINÆ DOCTORI.

ET APUD SCHAFHUSINOS MEDICO PRACTICO FELICISSIMO.

ET

REVERENDISSIMI S. R. J.

PRINCIPIS

EPISCOPI CONSTANTIENSIS

ETC. ETC. ETC.

CONSILIARIO ET ARCHIATRO.

AGNATO SUO EXOPTATISSIMO.

Hancce Diſſertationem Inauguralem, ea qua decet ſubmiſſione atque modeſtia

D. D. D.

AUTHOR.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

HÆMORRHAGIA.

§. I.

Hæmorrhagia ἀπὸ τȣ̃ αἵματος & ῥήσσω vel ῥήγνυμι rumpo vi vocis in genere ſignificat ſanguinis eruptionem. Prout vero in diverſis locis ſanguis effluere poteſt, ita etiam exinde, variæ hæmorrhagiarum ſpecies naſcuntur. Si e naribus, hæmorrhagia narium, e pulmonibus, hæmoptyſis, ex œſophago & ventriculo, vomitus cruentus, e renibus vel veſica, mictus cruentus, ex ano hæmorrhoides & dyſenteria cruenta, ex utero, menſes, poſt partum lochia,

 per

per cutim ſudor Anglicus nuncupatur. Diſtinguitur quoque hæmorrhagia in ſpontaneam ſi absque ulla cauſa ſenſibus obvia accedit, & violentam, ſi externa vi vas aperitur.

§. II.

Ut vero clarius diſſertationis noſtræ argumentum innoteſcat, definimus hæmorrhagiam, quod ſit profluvium ſanguinis præternaturale extra ſua vaſa per extrema corporis repentia, facta vero quacunque vaſorum apertura.

§. III.

Ex quo intelligitur nos non naturalem ſanguinis excretionem, quo officio v. g. uterus fungitur ſtatis temporibus, menſtruorum nomine veniente, neque etiam, quæ poſt partum naturalem lochiorum ſpecie recrementa prodeunt, ſub definitione noſtra comprehendere, ſi nempe excernitur id quod excerni debeat, nec copia, nec qualitate peccat. Neque etiam conſuetum hæmorrhoidum fluxum ſingularem, quo in venis hæmorrhoidalibus & hypogaſtricis coactus ſanguis craſſus in hominibus certa quadam ratione diſpoſitis eliminatur, huc referri licet, nimirum quamdiu illa excretio modum non excedit. Qua nempe conſuetudine in naturam verſa, naturaliter fluxum illum contingere arbitramur. Miſſis igitur fluxibus ſanguinis naturalibus & ſalutaribus, qui loco & tempore juſto ingruentes, quamdiu tales ſunt Medici ope non indigent; de præternaturalibus & corpori humano inimicis in genere diſſeremus.

§. IV.

Ex præmiſſa definitione innuimus materiem eſſe ſanguinem ſeu maſſam ſanguineam totam naturaliter ſeu præternaturaliter conſtitutam, prout in arteriis & venis liquor ille purpureus circumvehitur, quæ differt ab alia materia quacunque, quæ

quæ ex maſſa ſanguinea ſecernitur, ut ſudor, urina, ſemen, bilis, ſaliva &c.

§. V.

Determinatur dein ſecundum definitionem ſanguis profuſus in corporis extrema quo phænomeno differt ab extravaſatione præternaturali, qua ſanguis vi quadam externa impellente, contuſione ex ruptis & laceratis canalibus alienas cavitates implet, ibique colligitur & in majores grumos concreſcit: differt quoque a ſugillatione, ſi ab eadem vi externa vel in tunicam celluloſam muſculorum vel adipoſam adigitur, vel errore loci in vaſa anguſtiora ſeroſa & lymphatica, ubi & fluere deſinit & cutim atro livido colore defœdat.

§. VI.

Cauſam ſanguinis profuſionis proximam & immediatam ſtatuimus, ut ex definitione patet, eſſe apertionem vaſorum ſanguiferorum, eorum præſertim, quæ ad extima corporis porriguntur. Naturaliter enim vaſa majora æque ac minora ſatis firmis inſtructa ſunt membranis quibus reſiſtendo fluido in quæcunque latera effluxuro obicem ponunt, ſic ut in receptaculis ſuis libere meare & remeare poſſit, ſimul ac vero in illis contingit ad extima hiatus, qui globulis ſanguineis rubris transmittendis par eſt, mox data porta egregius vitæ theſaurus elabitur, corde & arteriis à tergo motu ſuo perpetuo majorem ſanguinis vim verſus partem minus reſiſtentem impellendo.

§. VII.

Aperiuntur vero vaſa ſanguifera præternaturaliter, ſi diameter vaſis nimium augetur, vel ſi novum quoddam, quod prius non adfuit formatur cavum, quod ſecundum recepta veterum dogmata triplici modo concipimus vel ἀναςόμωσι, vel διαπήδησι, vel διαίρεσι. In Anaſtomoſi dilatatur cavum vaſis, quod emit-

emittit liquidum ſuum retinendum. In Diapedeſi fibrillæ membranaceæ vaſorum tam laxæ cohærent ut interſtitia hiantia dimittant retinenda. In Diaireſi vero tanta cohærentium fit ſeparatio ut plenaria continui ſolutio & canalis ruptura inde emergat. Poſterior διάβρωσιν ſen eroſionem atque ῥῆξιν ſeu nimiam diſtenſionem ſub ſe comprehendit.

§. VIII.

Cauſas remotiores, ut ordine procedamus, rurſus in internas & externas dividere eſt animus. Quoad internam conſideranda venit: Sanguis & in ſanguine abundans copia, quæ dum vaſa aggravare nititur Plethora alias nuncupata, fœcundiſſima plurium hæmorrhagiarum jure meritoque appellanda venit cauſa. Nam minimo motu, quod facile fit vel accedente rarefactione aëris vaſa repletiſſima nimis diſtenduntur & ubi minor eſt reſiſtentia, ſanguis repagula ſua disrumpere facile poteſt, magno ſanæ vitæ periculo. Quod *Hippocrati* olim jam cognitum fuit dicenti. *Sect.* 1. *Aph.* 3. Athletarum boni habitus ad ſummum progreſſi periculoſi, ſi in extremo conſtiterint: neque enim poſſunt in eodem ſtatu permanere, neque quieſcere. Ex his igitur facile colligitur corpus turgidum hæmorrhagiis valde eſſe obnoxium. Obſervatum enim eſt per loca maxime inſolita, per oculos, nares ſanguinem in Plethoricis erumpere.

§. IX.

Hujus quoque loci eſſe videtur orgasmus ſanguinis, quo, manente eodem fluidi quantitate, majus fit ejusdem volumen, expanſione facta in majus ſpatium, tunc ſanguis ſuis vaſis extreme tumentibus contineri nequit & quaſi e clauſtris prorumpens per minima vaſa exitum parat. Quod contingere videmus in febribus acutis tam benignis quam malignis, quibus æſtu febrili agitato ſanguine ſupervenire ſanguinis eruptiones ſolent. Simile quid contingere videmus in affectibus animi majori-

joribus, ut in hominibus ira percitis quibus momento quaſi febre incenſa ſanguis expanditur, fervet, ſubſequente ſubita vibrantium vaſorum diſploſione. Imprimis orgasmus ille ab exercitationibus fortioribus & repentina incaleſcentia corporis conciliatur, quod infra ſuo loco fuſius demonſtrabimus.

§. X.

Plurimum quoque ad excitandam hæmorrhagiam facit ſanguinis fluxilitas & tenuitas, quum partim ob admixtas copioſiores ſeri particulas diviſi & diluti ſanguinis globuli per anaſtomoſin vel diapedeſin ex vaſis dimittuntur; partim quoque ob ſpirituoſos & facile mobiles humores admixtos ſanguis attenuatur, anguſtiſſimos & inſolitos meatus penetrat, motu præſertim citatiore à quacunque cauſa ſuperveniente; quod non raro accidere videmus in fœmineo ſexu & admodum juvenibus.

§. XI.

Ulterius quoque accuſanda venit ſanguinis blanda & fere inſipida natura mutata in qualitatem plane peregrinam & ſæpe manifeſto ſalinam acrimoniam, quæ non tantum numeroſam morborum diverſorum ſegetem profert, ſed etiam hæmorrhagiis ſanatu difficillimis anſam præbet. Nihil enim machinæ noſtræ adeo infeſtum eſt texturam ejus & tenerrimam compagem ſolvendo, corrodendo, lancinando quam uberrima & fere indelebilis ſalium tam alcalium quam acidorum cæterorumque colluvies, quæ ad vaſa minima aliena maxime nutritioni inſervientia delata eroſionem & tabeſcentiam efficit, ſic ut diabroſi & diereſi in ultimis vaſorum ramulis apertura facta ſanguini ſincero effluxuro via pateat. Accedit quod jugiter acrium ſalium ſtimulo tenellas membranulas vellicante ſanguinis major impetus verſus exeſas partes ruens effluat. Teſtatum hoc faciant phthiſicorum, ſcorbuticorum, catarrhoſorum myriades, qui ob pravam quam fovent ſanguinis conſtitutionem ex pulmone, gingivis, per nares, fauces indomabiles

omnemque Medici artem eludentes hæmorrhagias patiuntur.

§. XII.

Singulis his ſanguinis conditionibus ſeorſim conſideratis, nolo aſſerere, ex quatuor his enumeratis unam ſemper ſolummodo exiſtere in individuo hæmorrhagiæ cauſam efficientem; ſed quo plures cauſæ concurrunt, ſicuti fere fit, ita ut nempe cum plethora & rarefactio & tenuitas inſignis & acrimonia conjuncta ſit, eo graviores & frequentiores hæmorrhagiæ locum habere poſſe facile colligitur.

§. XIII.

Neque hic, quum de ſanguine ſermo eſt, prætermittendum puto motum ſanguinis progreſſivum irregularem modo auctum modo ſufflaminatum in qualibet corporis parte igitur qua ratione ex hac cauſa hæmorrhagiæ ſubinde oriri poſſint accuratius demonſtrare lubet.

§. XIV.

Lege circulationis conſtat eſſe communicationem arteriæ cujuscunque cum omni ſanguine qui a corde ad omne punctum corporis mittitur. Ponamus jam in tertia parte arteriarum minimarum oriri obſtructionem vel conſtrictionem quid tunc fit? ſanguis retronitens ad cor, ibi ob valvulas ſemilunares interpoſitas viam non invenit, inde rami laterales triplo majorem ſanguinis copiam admittere debent. Sed quid fit ubi ad minima urget? dum trunci vis contractilis triplo aucta ſit ramuli ultimi ultra elaterem diſtenduntur, ſic ut contrahere ſe amplius non poſſint. Quid tum? vaſcula diſtenta vim cohæſionis amittunt fit ſolutio continui, unde facta ruptura ſaliente rivo ſanguis effluit ex arteriis omnibus inter punctum illud atque cor.

§. XV.

§. XV.

Simili fere ratione ſe res habet in venis, quæ ab extremis minoribus collectis alveolis in ramos majores & patentiores ſanguinem recipiunt. Quod ſi jam in trunco majori venæ a principio movente remotiore naſcitur thrombus vel compreſſio, tunc in ramis ob laxitatem membranæ minoribus infra poſitis fit diſtenſio, quam quidem paulo diutius ferre poſſunt, ſed quum arteriis nova ſemper additur moles rupto vaſe ſanguis depluit, quamvis minore impetu ex venis intra valvulam ultimam venæ & toto ſyſtemate arteriarum contenta.

§. XVI.

Denique annumerandum quoque cauſis internis, omne id, qnod tota ſua qualitate præternaturaliter in corpore noſtro inhærendo, diverſas hæmorrhagiarum ſpecies concitare valet, ſicuti tumores, ſecundinæ retentæ, vomica, calculi, vermes, quæ comprimendo, (§. 15.) corrodendo, (§. 11.) obſtruendo, (§. 14.) varios & diverſos producunt effectus quæ malis ſuperioribus ſuperveniunt, quoque omnia hic enummerare nimis longum foret, quum ex antea demonſtratis ſatis intelligantur.

§. XVII.

Pergimus ad cauſam violentam, quæ impulſu externo vaſa ſanguifera lacerant, ut ſanguinem emittant, quæ ſunt mechanicæ, ut inſtrumenta pungentia, ſecantia, contundentia, ferro vel igne illata; caſus ab alto & præcipiti loco vel corroſiva cauſtica ſalia, quæ cuti corporis applicata cruorem proliciunt, quorum omnium tantus obſervatur numerus ut vix finis foret, ſi quæcunque hæc facientia enumerare ſuſtinerem. Illud tantum attingam, quod ſæpe evenit inter operationem chirurgicam dum ſedula chirurgi manus vel dentem evellere vel ſcirrhum exſtirpare vel partem quamcunque corruptam amputare

adnititur, non poteſt præcavere aliquando, quo minus hæmorrhagia maxima & aliquando lethalis ſuperveniat.

§. XVIII.

Recenſitis jam cauſis internis & externis, ordo diſſertationis nos ducit ad res non naturales, quæ tanquam cauſæ remotiores ad hæmorrhagias producendas concurrunt & in diſpoſitis illas facile ſimul efficiunt. Quarum primas tenet Aër, qui omni fere momento mutatus machinam quoque noſtram mutat, & in omnia corporis fluida magnum habet influxum, quod in ſinu ſuo multorum morborum pabulum fovet, tam pro particularum qua impragnatus eſt, differentia, quam pro varia frigoris & caloris modificatione. Æſtuante enim aëre a ſole, foco vel balneo ex phyſicis conſtat, ſanguinem multum expandi in orgasmum, quo in impetuoſum motum abreptus hæmorrhagias facile gignit. Neque minus frequentes natas eſſe ſanguinis profuſiones ab effluviis & vaporibus metallicis amoniacalibus, mercurialibus, ſaturninis inſpiratis, pulmonum vaſcula conſtringentibus & corrodentibus pluribus obſervationibus ſatis eſt ubique confirmatum.

§. XIX.

Deinde non parum huc conferunt aſſumta quælibet, ſcilicet alimenta, medicamenta, & venena, qualitate vel quantitate peccantia, quæ præter alia, affectum quoque noſtrum haud raro inducunt. Hinc potatores & helluones, luxuriæ dediti, qui ſe vino & cibis ſelectiſſimis & copioſiſſimis infarciunt in hæmorrhagias ſæpe periculoſiſſimas incidunt, nata enim plethora & cacochymia profuſa illa ingluvie vaſorum ad ruptionem via ſternitur. Accedit quod ventriculo & inteſtinis infarctis diaphragmate & viſceribus compreſſis ſanguinis motu impedito priora mala exaſperentur. Præ ceteris vero ſpiritus vini & vinum generoſum, cibi plus juſto aromatibus & ſale conditi, ſalia volatilia & ſulphurea crebro & nimia doſi aſſumta

mas-

maſſam ſanguineam attenuando hæmorrhagiis anſam præbent, ſinapi, piper, armoracea radix & ejusmodi acria & volatilia huc referenda. Venena denique qualia ſunt purgantia draſtica, colocynthis, mercurius ſublimatus, arſenicum, vitri & adamantis pulvis groſſus cruentos vomitus & alvi fluxus procreaſſe obſervatione multiplici conſtat.

§. XX.

Motus & exercitatio corporis immodica, vigiliæ, lucubrationes, meditationes intenſæ, vociferatio, tuſſis, curſus, ſaltus, huc quoque ſpectant, utpote ſanguinis motum progreſſiuum accelerando ad violentas eruptiones disponunt.

§. XXI.

Excreta & retenta ſi a juſtis naturæ legibus recedunt, ita ut retineantur excernenda & excernantur retinenda vario & multiplici modo machinam noſtram afficiendo, morbo noſtro fovendo & augendo præprimis apta ſunt. Ex bile acri collecta alvi fluxus ſanguineos, alvi fæcibus induratis hæmorrhoides immoderatas, ex urinæ ſuppreſſione eroſiones vaſorum & inde ſanguinolentum ſputum, & ulcera ichorem ſauguineum fundentia, ex venere nimia choleram ſanguinolentam & hæmoptoën eveniſſe, ſedula practicorum obſervatione traditum legimus. Ante omnia poſt conſuetam evacuationem illam, tam menſium, quam hæmorrhoidum a quacunque cauſa ſufflaminatam, neque minus venæ ſectionem ſolitam prætermiſſam & inde natam plethoram, ſanguis ad partes alias & ſæpe vitales congeritur & eruptiones incoërcibiles poſt ſe trahit. Tranſpiratio prohibita, hic quoque conſideranda venit, unde qua ſanguinis copia & cocochymia nata ſuperveniente febre hæmorrhagia frequenter originem trahit.

§. XXII.

Ultimo loco memorandi ſunt animi affectus à ſpirituum animalium agitatione pendentes, ut triſtitia, terror, metus, amor, ira, excandeſcentia, furor, qua diverſa ratione ſanguinis & humorum motum modificant, turbant, modo augent, modo ſupprimunt, unde cordis palpitatio, præcordiorum anguſtia, pulſus celerior, inæqualis, intermittens, quorum ratio generandæ hæmorrhagiæ ſufficiens ex aſſertis præmiſſis ſatis liquet.

§. XXIII.

Nec ſilentio prætermittenda erit ſingularis corporum diſpoſitio, quæ pro ætatum & ſexuum, temperamentorum, vitæ generis, anni temporis, conſuetudinis, climatum differentia conſideranda venit. Nam juvenes, ætatis florentes, vitæ ſedentariæ dediti, literati, Itali, Galli & Hiſpani, Sanguinei, Sanguineo Cholerici & *M*elancholici frequentius in hunc morbum incidunt.

§. XXIV.

Diagnoſin paucis abſolvimus, utpote hæmorrhagia per ſe ſuis ſignis manifeſta. Sanguinis enim effluvium à Medico & adſtantibus aperte cognoſcitur & dignoſcitur per actionis læſionem. Neque etiam ſigna ex ſubjecto & cauſis tam remotis quam proximis petita Medicum poſſunt fugere, ſi omnes circumſtantias, quas ſupra deſcripſimus rite & ordine perpendat.

§. XXV.

Circa prognoſin maxima circumſpectione opus eſt, attendendo quibus locis, quanta & qualis ſit hæmorrhagia, quæ ab ægrotis plerumque valde extimeſcetur ſibi perſuadentes vitam ſtatim ex quacunque cauſa hæmorrhagia periclitari, quam-

quamvis quidem ea in ſe conſiderata plus vel minus actiones lædendo vim corpori inferat, igitur fuſius hæc explicare opere pretium judicamus.

§. XXVI.

Imprimis hic reſpiciendum eſt locus ſive pars affecta, unde ſanguis effluit, pro cujus ratione diverſa majus vel minus damnum infertur, ſic ſi in parte vitali ſanguinis fluxus oboriatur, etſi exigua copia ſanguinis effluat, tamen valde noxius eſſe poteſt, cujus rei luculentum videmus exemplum in hæmoptyſi, ubi ſi ſemel vas ruptum eſt quamvis minimum, raro conſolidatur propter perennem pulmonum motum, hinc ulcere nato, tenerrima membrana pulmonum inde abſumpta, Phtiſis confirmata ex hac minima cauſa quamvis levis videtur, oriri poteſt. Si in ventriculo per vaſa brevia ſanguis vomitu cruento ejicitur valde metuendum, ne in parte hac interna chylificatione turbata putrida collecta colluvies homines è medio tollat. Si in renibus, ureteribus, veſica à calculo infixo læditur vas ſanguiferum mictus cruentus cum ulceratione vix ſanabili relinquitur. Si hæmorrhagia ab arteriis ortum habet difficilioris eſt ſanationis, quam quæ à venis, ſanguis enim cum impetu & ſaltu proſiliens à proxima vi impellente cordis, non tam facile ſiſtitur prout venoſus, cujus motus magis eſt infractus. Vaſorum quoque majorum læſio cum apertura magna præſertim profundius reconditorum periculoſiſſima, quodſi in vulneribus inflictis & apoſtematibus ruptis evenit, applicationem remediorum reddit difficillimam.

§. XXVII.

Ex quantitate diverſo reſpectu majus vel minus periculum metuendum. Si enim corpus eſt valde plethoricum, ſi juvenes, ſi ſanguinis excretiones ſolitariæ ſuppreſſæ fuerunt. Si tunc per loca convenientia ut per nares, uterum, hæmorrhoides

des quamvis magna copia eliminatur magno ſæpe evenit ægrorum ſolatio, modo vires per eupepſiam poſſunt ſervari.

Dantur enim caſus ubi ſtupenda ſanguinis copia citra ſanitatis periculum erupta fuit, qualem meminit Panarolus, obſ. 46. de Hiſpano nobili, qui quotidie libram ſanguinis per decurſum quatuor annorum per hæmorrhoidales venas excrevit, quum tamen optima fruebatur valetudine. Pari ratione obſervatum fuit in puerperis, quibus primis duabus puerperii diebus plus quam 20 libras ſanguinis effluxere ſummo cum levamine. Verum cum non omnium hominum par ſit ratio, hæc, quæ extraordinarie contingunt in robuſtioribus, vim regulæ amittunt.

§. XXVIII.

Pejoris quoque indolis eſt, ſi ratione materiæ, ſanguis ichoroſus, ſeroſus, acris tenuis, ſpumoſus, purulentus, fuſcus, globeſcens, ater apparet, quam ſi laudabilis colore & conſiſtentiæ ſit.

§. XXIX.

Ratione cauſarum proximarum periculoſior illa hæmorrhagia, quæ fit per diereſin, nec minus periculo vacat, quæ per eroſionem naſcitur.

§. XXX.

Cauſæ prægeſſæ remotiores quo graviores concurrunt eo difficiliorem ſæpe & magis ancipitem reddunt curationem, quæ cum vel adhuc corpori manent inhærentes, nec tam ſubito aut plane tolli poſſunt, de effectu tollendo fruſtra laborabitur, ſed tunc tantum palliativa locum habebit, qua quamvis ſupprimatur hæmorrhagia, tamen manente eadem fluidorum vel ſolidorum depravata conditione morbus recidivus omnia pejora reddet.

§. XXXI.

§. XXXI.

Ratione ſubjecti, ætatis, temperamentorum diverſum quoque ferendum in prognoſi judicium. Qui natura debiles ſunt ut pueri, ſenes, phlegmatici haud facile ferunt hæmorrhagias frequentes quoniam non ſtatim reficiuntur ex aſſumtis, atque ventriculo & viſceribus debilitatis, cruditas, indigeſtio, hydrops & aliorum morborum ſyndrome preſſo pede ſubſequi facile ſolent.

§. XXXII.

Hæmorrhagia critica, quæ in decurſu febris ſupervenit aut bonum aut malum portendit; ſi in augmento febris præcipue quarto die adoritur ſumme periculoſa habetur. Practici enim inde & vehementiam morbi & multitudinem materiæ febrilis arguunt. Contra vero ſi quinto die vel in declinatione febris ſatis copioſa ſit, tunc minus periculoſam, ſed plane ſalutiferam proclamant.

§. XXXIII.

Ratione ſymptomatum periculum increſcit, ſi vires concidunt, ſi functiones plus minus ceſſant, ſi extrema frigent, ſi pulſus intermittit, ſi ungues fiunt cinericei coloris, ſenſuum ſit hebetudo, oculi caligent, color faciei fit luridus, plumbeus, facies Hippocratica cum frequentioribus animi deliquiis; niſi tunc cito ſuccurratur ante plenariam vaſorum inanitionem de ægro conclamatum erit.

§. XXXIV.

Cura morbi inſtituitur, ſi & morbus ipſe & cauſa ejus vel plures removentur, quod ſæpe cito fieri debet, modo Medicus in tempore accerſitur. Quibus ex ſignis ſuis cognitis

 me-

methodo rationali indicatio formanda. Quare cum ſanguinem ſiſtere & corpus in integrum reſtituere ſcopus curationis noſtræ ſit. Indicatio erit vel præſervatoria qua cauſam morbi remotam, vel curatoria qua morbum & cauſam ejus proximam tollere, vel vitalis, qua viribus fractis conſulere annitimur. Remedia vero indicata ex fonte Chirurgico, Pharmaceutico & Diætetico erunt petenda.

§. XXXV.

Chirurgicam adminiſtrationem quod ſpectat, primo ſe offert detectis vaſis ſanguineis vulneratis vel apertis applicatio remedii ad vas apertum; quod labiis coactis ſimplici compreſſione deligatur vel etiam obſtrictione per medium ſciſſæ arteriæ perficitur, quæ tunc tenacula apprehendenda & acu transfigenda & ſic adducto filo conſtringenda erit, quod in ſectionibus artuum majorum & hæmorrhagia inde profuſisſima metuenda laudatur.

§. XXXVI.

Siſtitur quoque hæmorrhagia ligaturis partibus integris à loco affecto remotioribus injectis ut retineatur in venis pars ſanguinis, ne deficiat cordi materies ſanguinea ipſi reddenda, quæ per reliqua vaſa cordi ſubtracta fuit; vel etiam ut ſanguine infra ligaturam remorato minuamus cordis ſyſtolem à fluido diſtenſuro.

§. XXXVII.

Deinde inter utiliſſima & præſentiſſima præſidia referenda venæſectio, ſi à ſanguinis abundantia vel orgasmo vel inordinato ejus motu hæmorrhagia nata fuerit. Quæ vero copia ſanguinis jam ſit profuſa, quæque vires ſuperſint ex habitu corporis & pulſu in venæſectione adminiſtranda accurate

curate circumſpiciendum eſt. Vena vero ſecanda in oppoſita affectæ partis regione qua revulſionem intendimus, quod commodiſſime & optimo ſit cum ſucceſſu experientia teſte.

§. XXXVIII.

Nec ſilentio prætereundæ ſunt cucurbitulæ ſiccæ ſeu ventoſæ, quæ egregium uſum habent in compeſcenda hæmorrhagia, quarum eadem fere operandi ratio eſt ac ligaturæ. Singulare de iis exemplum memorat Foreſtus Lib. 3. obſ. 14. qui hæmorrhagiam narium ſanavit, applicando ventoſas pedibus, ubi copioſæ ſunt venæ ſubcutaneæ. Alii cucurbitulas præſertim majores maximo cum effectu Nuchæ applicant.

§. XXXIX.

Varia quoque topica ad manus eſſe debent remedia quorum uberior notitia neceſſaria erit, ut quaſi ex arena conſilium capere poſſimus, ſi in caſu urgente præſens requiritur remedium, præter deligationem igitur ſupra commendatam opus eſt, 1°. conglutinantibus, qualia ſunt ſanguis ipſe concreſcens thrombo ſibimet ipſi obicem ponens, vel etiam igne ſiccatus & applicatus. Porro gummata ut Arabicum, Tragacanthum, ovi albumen multum præſtant ſi admiſcentur, 2°. adſtringentibus quorum fortiſſima ſunt crepitus lupi, colcothar vitrioli, alumen, hæmatites, gypſum, ceruſſa, ſacharum ſaturni. Proxime his accedunt muſcus quernus, cortices granatorum, radix tormentillæ, gallæ, bolus Armenus, terra ſigillata, creta, lapis calaminaris, ſpongia exſiccata, varii liquores ſtyptici, acetum, ſuccus limonum, ſolutio vitrioli martis linteis carptis excepti. Commendatur quoque ſtercus ſuillum aut aſininum ejusque ſuccus cum aceto remixtus naribus exceptus vel vulneribus applicatus, quod quamvis ſordidum ſatis efficax tamen in hæmorrhagiis inhibendis deprehenditur inter domæſtica remedium.

§. XL.

Magna quoque famoſiſſimo pulveri ſympathetico tribuitur ad ſanguinis fluxus compeſcendos energia, quod paratur ex vitriolo cyprino in ſole calcinato, quo ſanguis effluens, vel etiam lintea cruore madida & rurſus exſiccata ſolutione pulveris illius tinguntur quod in hæmorrhagia præcipue narium non plane contemnendi eſt effectus.

§. XLI.

Interne exhibentur remedia ex fonte pharmaceutico deſumpta pro diverſa curationis intentione. Si acrimonia ſeri vel bilis copia peccat temperantia & benigne purgantia propinanda ſunt ut ocul. cancrorum, Rheum, tamarindi, manna, cremor tartari, ſerum lactis; ſi vero ſcybala indurata impedimento ſunt enemata turfuracea, emollientia præſcribuntur. Quod ſi vero orgasmus ſanguinis obeſt & motus auctus, ſedanda illa opiatis, nitroſis, camphoratis, terreis, acidulis & variis ex illis præparatis. Sit quoque aër temperatus, qui frigidior inſpiretur. Neque minus hic locum habet aqua frigida, acetum, plantis pedum, manibus, ſcroto, nuchæ, temporibus, vel ſi urget malum lintea aqua frigidiſſima madida corpori a pube usque ad calcem applicata. Varia quoque corpora frigida dura ut metalla, ſmaragdus, jaspis manibus tractata cum fructu adhibentur.

§. XLII.

Si ſanguinis tenuitas hæmorrhagiam alit tum ſanguinem incraſſantia & roborantia ingerenda, ut rad. Biſtortæ, tormentillæ, cortex granatorum, ſemina plantaginis, flores roſarum balauſtiorum, catechu, ſanguis draconis, item balſamica ut Maſtiche, nux moſchata &c.

§. XLIII.

§. XLIII.

Multum imprimis ad ſedandam hæmorrhagiam facit quies & animi & corporis, ut ita nec irritatio fiat in nervis per ſenſus nec corpus ullo modo in ſitu ſuo mutetur, quod maximopere obſervandum in hæmorrhagiis vehementiſſimis perpeſſis. Obſervatum enim eſt quod milites a pugna graviter vulnerati quum tanquam exanimes in campo inter cadavera relicti fuerint, nullo ipſorum ſitu mutato, tertio die ad ſe redierint. Aliis vero ſimiliter exhauſtis ſanguine quamvis pauca adhuc vitæ & virium ſigna aderant, quum ſtatim a pugna in noſocomium transportarentur, ſolus hic quamvis minimus motus vitæ finem attulerit.

§. XLIV.

Præter hæc viribus proſpiciendum eſt remediis ex diæteticis petitis, quæ blandiſſime nutriunt, quæ pauca & iterata quantitate parum tepida ingerenda ſunt, inter quæ emulſiones ex ſem. 4. frigidis majoribus, decocta avenacea, lacticinia & jura carnium eminent, quæ omnia præſcribere ſuo tempore Medico rationali & in praxi exercitato pro varia rerum facie non erit difficile. Quare plura de curatione addere ſuperſedeo. Quum de hæmorrhagia in genere jam dictum ſit ſatis.

FINIS.